


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

SOCIALE
Fortunæ Virtutisq;
CONNVBIVM
In Illustrissimis Neo-Sponsis
ANDREA
De Lubieniec
NIEMOIEWSKI
CASTELLANO BIDGOSTIENSI
ANNA
In Tuczno
TVCZYNSKA
CASTELLANIDE GNESNENSI
Capitaneide Povidzensi

Ad festiuas Hymenæi tædas

BENEVOLO

THOMÆ IEMIELSKI

Tribunidæ Inovladislaviensis

CALAMO

ADVMBRATUM

POSNANIÆ

In Auitum Inſigne

JLLVSTRISSIMI Neo-SPONSI

ANDREÆ NIEMOIEWSKI

CASTELLANI BIDGOSTIENSIS



Patritias ridet ver Ceras inter: amœnus
Vives, qui Majo ſunt ineunte, dies.
Ambitur Terno Flos idem Vomere: aratris
Hic prædux, ævi frugiferi omen habet.
SPONSA infert ſecum diuturnæ Symbolà Vitæ;
Ævum Fortunæ ſic ſociavit Hymen.



FRequens de hodierni ævi malignitate querimonia, ad veſtri Hymenæi faces feliciſſimè euanuit: Neoſponſi Illmi. Nimirum, ex chalybea refictum maſſa, præſens quo vivimus ſeculum, ita apud omnes percrebuit, ut, cum in Saturni annos, obryzum; in Iouis ætatem, argentum; in ſuccedentia deinde luſtra, tantò melius deteriuſq; metallum; quantò minori maioriq; interuallo anteacta contingebant tempora, a thaumaturga Cælorum vi, conſumptum eſſe autument; ſibi, ſteriles in Vulcani officina cudi menſes, quibus pretii parùm, amænitatis inſit minimùm, lamententur. Sed ad hodiernas tandem tædas innotuit, quòd, malè, efferatum cælitibus ingenium, malè chalybeam temporibus appingamus cruditatem; quandoquidem, Vobis, æternùm duraturam, ſic inter Ceras portendit æther felicitatem, ut Gentilitiam chalybis duritiem, per amæna connubii ſædera, mitiſſimo florum conſortio temperaret. Equidem, ego, Patritiam TVCZYNSCIORVM Rotam, pluribus Honorum inſigniis, quàm ferramentorum dentatam acuminibus, vix ad Mulciberi malleum retulerim: suis hanc Fortuna manibus, è principe fabricata eſt metallo; ne aureas (citra Platonis commenta) tot Procerum animas, alius, præterquam auri fulgor denotaret. Niſi fortè ex eadem quâ Cælorum orbes, materiâ, effictam eſſe credimus, utpote, quæ, tot, Primæ in Polonia magnitudinis ſidera, & inſignes Sarmatici orbis circumegerit Planetas: cujus proinde medium, non vulgaris æquitatis index, Aſtrea occupavit. Si tamen, poſitum extra Fortunæ imperia animum, ſi robur ſpartanis nequaquam coæquandum viribus, ſi infracta TVCZYNIORVM animi conſtantia, ſolo adumbrari ferro potuit: ne quis, rigidiora NeoConiugum connubio luſtra metueret, Patritium NIEMOIEWSCII impedit Roſetum. Ego, certè, dum in Magnos Coniuges, animi pupillam impenſiùs defigo, Fortunam hìc nubere Fortunæ, honorem iungi honori, Senatorias Purpuras, Procerum permiſceri laticlaviis, inſignes deniq; animi dotes, cum magnis Societatem inire virtutibus, deprehendo. Non uno

iam ſæculo orbis viderat, TVCZYNIANÆ Nobilitatis ſchema, Rotam, Fortunæ ipſius Inſigne fuiſſe, quod, non tam propitia illorum ſanguini Dea (nihil enim ad Fortunæ beneuolentiam pertinet, collatus bene meritis Honor) quàm amicum virtutibus Cælum, ceu æuiternam Honoris arrham, in illorum depoſuit Proſapia. Fortunæ planè ſimulacrum eſt illa Virago, cui pro ſipario æternam Apelles offudit noctem, ut omnem è peruetuſta migrandi Domo eriperet libertatem. Sed & manus illi ademit hæreditaria TVCZYNIORVM gloriæ poſſeſſio; credo, reuerita, ne aliò orbem impelleret, adeo non ſatis fuerat hamatas circulo infixiſſe remoras, ne innata animi levitate (*nam pervicax ad ludibrium Dea hæc eſt*) contra dentatos niteretur obices, manibus eam ſpoliauit. Sed, tam memores antiquitatum faſti, quàm recens ævi noſtri memoria recolit, TVCZYNIOS, Fortunam in manibus geſſiſſe. Quotquot ex Trabeata hac Domo ſanguinem traxêre Nepotes, honoris quoq; certiſſima ſumpſerunt omina: quaſi prima infantium bulla, grandi poſtmodum præluderet laticlauio. Quod de Iulide Ceæ Inſulâ, itemq; Æginâ, memoriæ prodidit (*in Demoſth.*) Plutarchus, illas *Paraſitorum hiſtrionumq; fecundiſſimas, Virum bonum, & cordatum, & magnanimum gignere nequaquam poſſe:* id, ordine in contrarium mutato, de TVCZYNIORVM dixero Proſapia: eos, quodam originis privilegio ad inſignes quoſq; auſus initiari: nulluſq; ferme, non Illuſtribus in Patriam meritis, & quod conſequens eſt, non Trabeatis effulſit Faſcibus, quicunq; genus in hanc reuoluit propaginem. Suo contabeſcere infortunio magnas plerumq; ſtirpes animadvertimus, quia, non rarò, à maximis oriundæ, in minimos probroſè deſinunt: cum videlicet nobilem in fonte magni ſanguinis ſcatebram, nepotum deinde limus confundit: genuinorum inquam nepotum, qvi, non ampla ſolùm Patrimonia, ſed quod infeliciùs eſt, Maiorum famam, & partas tot ſudoribus Gloriæ gazas, infami decoquant prodigalitate. Quaſi verò omnis à Parentibus exhauſta ſit gloria, ut nil ſibi eſſe reliqvum putet, quò ſe factis extendat, poſteritas. Fitq; non rarò, ut hac latiùs promanante deſidiâ, omnis Anteceſſorum obliteretur fama. præſentia enim nepotum ſcelera, faſtorum fidem de Parentum virtute extenuant, imò extinguunt. Sic innocuos ſtolones generoſa vitis exuberat, ſi

ſcu

frugiferæ plerumq; ſylveſcunt plantæ, ſic locupletes auri argentiq; venæ in rudem glebam deſinunt: vel ut apertiùs dicam, ſic Heroum Filij, noxarum nomine, non minùs turpiter quàm verè nuncupantur. Procul hæc à *Tuczynſciana* Domo ignominia, ubi nullus in ſuam vixiſſe gloriam Parentes exiſtimat, quin ſimul propoſitum in ijsdem exemplar credat, quod factis exprimat. Itaq; Avorum Gloriam præclaris augent conatibus, & avulſo in conſangvinitatis arbore uno ſurculo non deficit alter: nilq; per fatorum iniuriam TVCZYNIIS præter munerum perit, poſteritate, Maiorum geſta, continuante. Neq; in re quam ſua certitudo à dubitandi remouit confiniis exaggerandâ nimius ero: ne, quod ille ait, æquitati cauſæ diffidere videar, ſi multis pro ea perorem. An enim TVCZYNIANAM Generoſitatem non luculenter in Te exprimis, abſolutiſſimum magni Herois exemplar, Senatoris Poloni idea, Vir immensâ animi capacitate nemini ſecundus, *Caſtellane Gnenenſis Stanislae TVCZYNSKI.* Viva Tu magnanimitatis *Tuczyniana* imago, ſic Poloni illius Catonis Caſtellani Poſnanienſis *Chriſtophori Tuczynſki* Avi Tui, auctoritatem; ſic Inovratislavienſis Succamerarii, digni cui nunquam terminales obliuio po nat limites, Parentis Tui, virtutem; ſic aliorum retro ex Veſtra Linea Procerum complexus es animo gloriam, ut ad cofirmandam magnæ ſtirpis ingenuitatem, aliud præter Te exemplar non requiram: cum Tua, *Senator Ampliſſime,* Virtus, omnem exaggerationis tollat ſuſpicionem, omnem aſſentationis diſpungat metum. Quis enim ex gravi vultûs majeſtate, verborum pondere, in omnes circumſpecti partes animi prudentiâ, externarum Polonarumq; rerum peritiâ, non continuò, *Tuczynium* Te eſſe concludat, in quem, tot naturæ fortunæq; dotes, per ſanguinis etiam jura defluxerint? Vtinam mihi liceret in retroactos annos memoriam mittere, & Tuæ fortitudinis enumerare documenta: qualiter Polonus Achilles, *aheneis ſquammis timendus, cum litui ſonus ſæuiq; conjurata Martis* Victricia ſub Chocimum *ſigna* vocarent, ſparſa ſequi *celer vexilla, palantemq; Lunam Sarmaticis agitare campis* olim ſciveris. Vellem triumphantis laureas, & gloriæ poſt cæſos hoſtes ſpolia recenſere: ſed hæc meliori paginæ, id eſt recenti Polonorum memoriæ, æuiterna commiſit fama. Dexteritatis Tuæ non minimum etiam illud

lerrimè infers, cumq; imbelles alii, in Senatoria tantùm curuli equitent, Tu, intra carpenta, delitescere bellicam cre dis indolem. Equitem nimirum Te Polonum esse non diffi teris, & sic Patritiam induisse Togam, ut pulchrum Quiritium nomen non exueris. Ergo hæreditariam *Tuczynius* Virtu tem, & quæ huic latus sociat Fortunam, vel ex Te uno *Gnesnensis Castellane* colligimus, ut proinde meritò in Patritias *Tuczyniorum* Ceras, deuolutum esse Fortunæ circulum, fateamur. Paternos hactenus ANNÆ TVCZYNIÆ, quibus grandes vix sufficerent fasti, obiter delibavi splendores. Iam si Maternum Genus & eximios per Illustrem Magnæ Consanguinitatis scatebram in *Tuczynianam* domum deriuatos attendo titulos: lucubrationi assuetus caligine propemodum stylus obruitur. Sarmaticum enim pæne orbem, & primos quosq; Proceres ad TVCZYNIORVM pertinere decora demonstrabo, si *Prusimsciorum Opaleniorum Lesczyniorum Firleorum* immistam Nomini claritudinem, in hos etiam redundare, ostendero. *Prusimscianus* igitur sanguis in Neo-sponsam cum Materno influxit lacte, in primam hæc effusa lucem, Gentilitiâ illorum Fasciâ inuolui me ruit: ut hoc illustri Nodo, summam illi Fortunam Lucina illigaret: vel certè, ut magnorum deinde Honorum victimam, hac vittâ insigniret: rata, innocentis animi Heroinam, non alio, quàm exsorti macularum stemmate, portendi debuisse. Hinc etiam ad *Opalenia Navis*, Iasonicâ Argo longe fortunatioris, fœlicitatem pertinet. Illius inquam Navis, quæ, tot Procerum Fortunam, ad magni Honoris vexit promontoria In *Lesczyniana* porro Magnitudinis Capitolium, tam hostium quàm Honorum manubiis refertum, per Aviæ eluctata est Appiam: quo item nomine, in plurimas Procerum stirpes, consangvinitatis privilegio immigravit. Deniq; *Firleianus* Proaviæ Leopardus, alibi à seruato sollicitè auro, hic á pretiosiore metallis Libertate commendabilis, nec tam macularum, quàm virtutum Fasciumq; varietate conspicuus, *Firleanam* illi defert gloriam. Illam inquam gloriam, quæ, omnium, quibuscunq; Civium merita coronat Sarmatia, Honorum coalescit compendiosi solam regalis solii excipias(cuius adhuc in coronato capite omen gerit) maiestatem. Hæc, & sexcenta eiusmo di generis ornamenta, cum prænobili dote Illustrissimi

Sponsi thalamo infert, *tantorum titulis Illustris Auorum* Neo-Coniunx. Grandes enimvero splendores, & ultra qvos, ad Genialia Sacra Hymenæus tædis non egeat. Sed parem ibidem Cerarum reperit maiestatem, eandem fortunæ, eandem titulorum magnificentiam. NIEMOIEWSCIANA videlicet Domus, quoddam etiam Fortunæ augustal est, ubi, & Patritio murice, & meritis insignes, plures numeraveris Heròes, quàm Zopyros in suo malogranato Darius desiderârit. quotquot *Lubienie cianum Niemoiewscianumq;* nomen (nam eadem utriq; stirps est) complectitur decora, in *Bidgostiensem Castellanum* hæreditario deriuantur nomine.

Oberro animo *Niemoieviana* Domûs adyta; & Scipionum me aut Camillorum atria ingressum existimo. Heu quot quantaq; occurrunt Senatorum numina, quàm illustres cum Polonis Proceribus affinitates! Primus se oculis offert, *Matthias Niemoievius*, Vir immortalitátem meritus, & tantò carior Patriæ ac desiderandus, quòd relicto sibi superstite Filio Ianussio, prospexerit nè desideraretur. Sic ille Patritium Genus provexerat meritis, ut neq; Ianussii indoles desidiosè torperet: namq; Hic, ad patria honorum culmina Culmensem *Castellani* adjecit Purpuram, & prænobilem *Niemoieviorum* stirpem, Divûm sangvini immistus, ductâ in Trabeatum thalamum, de KOSTKARVM Sangvine, Catharinâ Palatini Mariæ-burgensis Filiâ: Feminâ, cum qua & sceptris non impar (in solii candidato IOANNE KOSTKA) Nobilitas, & Virtus quam Cælo intulit STANISLAVS, in Mariti prosapiam commigrârunt. Ivit deinde Splendor hic in triariùm planè robur, id est, in Illmum filiorum ternionem. quorum primus, *Stanislaus Niemoiewski*, ut tempore, sic Fascibus, alios antevertit, Regni primò Subdapifer, mox Paternæ Trabeæ Hæres: &, quàm bene Fortunæ, cum *Niemoieviana* conueniret Indole, palam fecit. hæc enim Parentum gesta approbat, dum filiis ad idem suffragatur subsellium. Nec his limitibus circumscribi potuit *Niemoieviana* Felicitas: latiùs sese protulit, cum Palatina Pomeraniæ gubernacula, *Tuo, Castellane Illme*, Avo, contulisset. Et quidem in pares Patritia Toga impegit humeros, pro quibus minimè erubesceret: dignum enim tali Trabeâ Virum reperit, qui quantùm ex honore sumpserat, tantùm eidem refuderit auctoritatis ...

um Niemoiewski, in cuius elogia, Thracius quoq; conspirat orbis: illum, Poloni Pyrrhi ad Othomanicum Tyrannum Oratorem. Quantam in hoc admiratus est Oriens magnanimitatem! cum inter barbaram hostium ferociam, sui Principis referret Personam, eâ maiestate, ut horrorem Machometanis incuteret: eâ fiduciâ, ut Polonæ libertatis gloriam adstrueret: eâ efficaciâ, ut truculento Principi persuaderet. Ingentis enimvero animi Vir, quem, a Regis Patriæq; obsequio, non vitæ periculum, non gentis in nostrum intentæ exitium crudelitas, non sexcenta ejusmodi discrimina, retardârunt. Iam verò Parentis Tui Theodori, Palatinidæ Pomeraniæ, viri de Patria meritissimi, quis encomia percurreret? dignus longiore vitâ heros, maximis reluxisset Honoribus, nisi, festinata mortalitatis jura, supremum fati negotium accelerassent. Vivit tamen in Te Tuoq; fratre Vladislao, æquissimo Inovladislaviensis Themidis arbitro: Vivit in Illma Filia *Apollinara Wierzbowska* Castellana Lancicensi: neq; illum emori sinet Vestrorum series Nepotum. Deniq;, si affinitatis vinculo Vobis colligatas stirpes recenseo: occurrit Palatini Culmensis Stanislai Consors Czarnkovia, *Ducum de Czlopa* Pignus, quorum Gentilitiæ innexa *Ianiæ*, infinita prope Pontificum Procerumq; nomina (etsi hodie tam ampla Domus in unicum desiêrit phænicem) si ad calculum reuocarem, immenso manus succumberet labori. Occurrit voti alterius Marita, *Palatini Cracoviensis Zebrzydovii* Soror. Hæc, Paternæ, in *Niemoievios* transtulit, Domûs decora: quæ, postmodum, in tot stirpes redundarent, cum, *DANILOVICIIS* (quorum hodie sanguinem in ter Augusto *MONARCHA* adorat septemtrio) *Smogulecciis*, quorum Gloriæ *Tuczyniana* hodie militant encomia: *Tyszkievicius* quorum, cum orbe nomen diffunditur: *Cetnero*, *Skrzetuscio Czarnkovio*, *Czerscio*, & sexcentis eiusmodi Stirpibus, *NIEMOIEVIÆ* connubij sacramento sociarentur. ut revera ultra Thulen natus credi debeat, qui *Niemoievscianum* ignorat nomen. Quid, si Maternum *Iemielsciorum* Genus calamo exararem; quantos paginæ inferrem radios? Iam, *Covaliensis*, *iam Inovladislaviensis Castellani* Purpura, *Inovladislaviensis* item *Tribuni* Honor: ipsa quoq; *PRIMATIS* Regni *Laurentij Gembicki*, per illius neptem *Zophiam Krzycka*, huc devoluta Tiara occurreret. Adeo ... ROSA æquiùs florum Reginæ no-

sus, & Procerum candor, debitam conciliat majestatem. Par igitur Generis Nobilitas, sociali Illstmos *Neo-Sponsos* iungit Connubio.

Sed ego, Vos NEO-SPONSI *Illmi*, non solis duntaxat natalium Titulis, sed, quod maius est, virtutibus etiam & probitate incipio coæquare. Scio primam hanc stirpium laudem esse, si ex prænobili trunco sumant originem. Etiam me assentiente *Nobilitas cunctis exordia pandit laudibus, atq; omnes redeunt in Semina causæ.* Avitæ plerumq; Nepotibus sunt ut virtutes sic crimina, nec aliud scelerum motivum aliqui habuêre, quàm quòd pessimis orti essent. sic quod ille ait *Vitium radicis continuant thyrsi, deformes quidem sed non difformes, quia fœdo exemplari* perquam *Similes*. Non sterile itaq; laudis argumentum est, splendor Natalium: quia ut virulenta suos in ortus exsurgunt germina, ita Maiorum pietas, Nepotibus adhæ rescit. Exilis nihilominus est, quam solus exarat sanguis commendatio: vixq; inter propria nostrûm decora censendum genus et proavos, edictum olim fuerat; eò, quòd nullam in his industriam, nullam consumpserimus solertiam. Vobis NEO-SPONSI Illmi, amplam texit panegyrim, calamo leviter adtacta Natalium felicitas, sed non sola. In comitatum gloriæ venit orthodoxa probitas, ex qua tanta in Genus defluit æstimatio, quantum in annulos ex gemmis pretium. Prima se paginæ infert, decora utriusq; Coniugum Oris dignitas. Equidem, formam fragile esse bonum, ita indubitatè existimo, ut imbecillo niti illos fundamento censeam, qui, hoc quotidianum temporis spolium, hanc diffluxuram ad quosvis morborum ignes ceram, hanc fatorum ictu frangendam Crystallum, humanam dico formam, in panegyris desumunt argumentnm. Scio sub oris gratiâ tetram puris mephitim latitare, & mentiente liliorum candorem vultu, Cadaveris tegi Camarinam: Deniq; quis illud æstimet, quod, funestissimo suæ Patriæ Lychno Paridi, quod probrosæ Æygpti Phædræ Helenæ, potuit obtigisse. Si tamen Diogeni credimus, gemmea vagina forma est, cui quoties plumbeũ veluti gladium, sceleribus deditam mentem natura ingerit, æterno se imprudentiæ obstringit piaculo. nimirum, etiam ex hoc apparente corporis domicilio, inquilina mens noscitur, tantùmq; aliqui cum Trajano creduntur in ... sanguinis, quantùm

in facie venustatis. Quocirca turpem Paterculi vultum ad animi squalorem non nemo retulit: cum distorto corporis monstro inclusum animum, non indigno circumseptum domicilio pronuntiasset. Ergo vestræ Neo-Sponsi uirtutis non obscurus est index, pulchè a natura effecti corporis simmetria. Tibi imprimis *CASTELLANE Illmè* tanta in vultu Maiestas, tam plenum grauitate (sed citra arrogantiam) supercilium, tam vivida oculorum acies, tam exporrecta (mentis generosæ theatrum est) frontis hilaritas, vt, si hodie Imperiorum suffragia ex vultûs peterentur decoribus, *Regnum posses ex ore mereri.* Nec aliâ puto specie, ille mundi domitor Alexander, suos a Phidia vultus exprimi, non aliâ pingi ab Apelle heròés, non aliâ deniq; inter mortales comparere Dii voluissent. Nec minimùm venustatis addit corpori, proceritas, & magnæ menti competens humerorum dispositio. Augustus enimvero lacertus, & cui cum Patritio Purpuræ laticlavio, suæ incolumitatis curam securissimè, Polonia committeret. Ita Sponsus, os humerosq; Deo similis. At verò Sponsæ facies, *quali digna tabellâ!* Si mimus ille naturæ Zeuxes, absolutissimum venustatis exemplar, Dearum pulcherrimam, coloribus adumbraret; nullâ credo aliâ præter TVCZYNIÆ vultum egeret ideâ: de quo verius protulisset Epithalamicus vates, quod non absq; fide Pòëtica de Stiliconis consorte dixerat *quis Dignior, isto, vultus erit? non labra rosæ, non colla pruinæ, non crines æquant violæ, non lumina flammæ.* Maior tamen illius commendatio, ex insigni virginitatis ornamento, verecundiâ, sumitur: quâ tantopere eminet, ut qui in ea palpebram defixerit, *credat ex æthere lapsam stare Pudicitiam, vel Sacro thure vocatam Iunonem.* Et certè minùs in sese oculos rapit, quia minùs spectabilis est, fucata stibio, pigmentis imbuta, illita lenociniis facies, præ vultu, quem virtutis irradiat purpurissum. Ergo Neo-sponsæ Illmæ, ex stoici mente, non populare est ornamentum, pulcherrima, & nulli adhuc ætati obnoxia forma: sed maximum non immeritò videtur decus, Pudicitia, quæ id effecit, ut Castellanis *Posset videri Pallas, si clypeum ferret: si spicula, Phœbe.* Iam *NIEMOIEVSCIANÆ* fortitudini, non tantùm ex cæso toties hoste enatæ laureæ, sed ipsum etiam nomen (pulchrum utiq; heroæ virtutis omen) suffragatur. Et certè, hinc etiam T[illegible] Domi[illegible]

rantis animi sumat documenta, quòd, & Tuæ virutis fortunæq; ex asse hæredem *Illustrem Filium*, in quem unicum tantæ *Domûs stirps inclinata recumbit.* Virum nomine genueris; & FILIAS, alterâm *Posnaniensi Dapifero MYCIELSCIO*, alteram *Castellano Bidgostiensi*, utriq; *ANDREÆ*, Virilem vel nomine profitenti dexteritatem, in Connubium dederis. Sed ultra luculentum Nominis calculum, habet etam alia *NIEMOIEVIVS* suæ virtutis argumenta. Nimirum illi *mens ardua semper à puero, tenerisq; etiam fulgebat in annis.* Et quemadmodum olim, dum Gradivi sacramento teneretur, gaudebat cum Trajano *quoties aut Cassidi suæ aut Clypeo gravior ictus incideret:* ita nunc remisso bellis nuntio, eodem vultu fortunam patitur, quo hostium tela exceperat: tunc Bistonum infractus incursu, nunc fatorum. Dignus planè Vir, cui Illustris VIRAGO in Connubii societatem cooptaretur. Virago inquam, cuius si robur exquiris, non ad Thermodoontis incolas Amazones, sed ad Senecæ censuram te relego. Intelligas inquit magni animi esse feminam, quam non ambitio, non auaritia, comites omnis potentiæ & pestes, vicerunt. Nil ego de vestra Neo-Coniuges affabilitate: sessitare alteri in ore lusciniæ, alter loqui rosas videtur. Ac Marito inprimis quàm castigati ad leges modestiæ sales; quos etiam Hippolytus non asperata rugis fronte audiat: quam spirantes amænitatem joci: *ad quos nec rigidum pudeat risisse Catonem.* Sponsæ verò ut in nomen, sic in lingvam gratia influxit: & si aliqua Claudiano Fides, quòd Serenæ olim, *ubera prima dabant gremiis redolentibus auræ, ternaq; eam pulchris innectens gratia membris, afflavit, docuitq; loqui: Tuczyniæ* quoq; infantiam, sub gratiarum adolevisse disciplinâ non dubitabo. Tales enimvero fortunatus Hymen Coniuges exigit: malè enim ex Trophonii antro in thalamos itur: malè sociali vitæ nomen inscribunt, quorum moribus innata asperitas, horrorem intuentibus ciet: deserto enim & ferarum lustris hi, quàm mutuo convictui aptiores. Ille quoq; Iustitiæ amor, cui non ita pridem Poloniæ Tribunal dederat testimonium, poscit Tua Illme Neo Sponse elogia. Patuit enim in nostro Areopago, quòd nemo præter Te esset *iuris & æqui nosse modum melior.* Ad rectissimam æquitatis bilancem expendebas omnia, nullis aut benevolentiæ aut pollicitationum illecebris a iustitiæ defle

intra TVCYNIORVM Ceras statuam, Tuæ infert Domui: ab Atheniensium non abludens consuetudine, Iudicum virtutem, quæ nullis obnoxia esset largitionibus, truncâ rependentium imagine. Quid autem de Tua dicam eloquentia? nolim Te dicente redivivam Tullii, nolim Demosthenis facundiam. Tenuisti nuper suo parentantem Succamerario Posnaniam; & iustissimi ob raptum Patriæ Civem doloris lenimenta, a Tuo traximus eloquio. Sic enim Majestatis nomine plenam luctuum effuderas complorationem, ut pendentibus a Tuo ore Proceribus, & oris gravitate, & energiâ verborum attonitis, mistum admirationi gaudium excitares. Nescio an aliquando augustiùs *Maiestas meminit se se Polona locutam.* Non auderet fortasse alius ex fandi ubertate Illmæ Nuptæ encomium desumere: nec ego ignoro profusam huic sexui inesse dicacitatem: ut mundi cunabula elogiis complexus Orator, in salis obstupefactam simulacrum feminam, eleganti nec absq; salibus prosecutus querimoniâ, inter portenta retulerit, *Feminam esse & tacere.* Sed Illma *Tuczynia Tam procul a lingvæ impotentiâ quàm a reliquis muliebris animi vitiis recessit.* Olim sibi *prisca puellares prudentia transilit annos;* cuius auspiciis, quæcunq; in aliorum aures profert, ea vel aurum mereantur, vel cedrum. Mihi tamen maiorem parit admirationem, quòd a Felicissimis Coniugibus, tanto naturæ, tanto fortunæ præsidio, instructis, longè *discessit rebus vitium solenne secundis, virtutumq; ingrata comes Superbia.* Non illis arrogans alienæ vilitatis contemptus, tumore cervicem, fastu vultum arrigit: nam modesta deterioris quoq; sanguinis æstimatio, superbiam ab animo æternâ proscripsit lege. Quid de Parentum dicam reverentia? Matrem Neo-Sponsæ citiùs fatum eripuit, quàm hæc Thalamis adolevisset: *crevit* itaq; *sub Noverca;* sed quæ *magni* post Genitricis jacturam *solatia luctûs restituens, propiùs quàm si genuisset amavit.* Egit illud optimi exempli Heroina *Castellana* Gnesnensis hac sua comitate; suo in Priuignam affectu, ut Senecæ effato fidem infregerit, *qui*, olim, *nulli non magnò constitisse* etiam *Bonam Novercam* voluit: cum videlicet maternam in fovenda Castellanide benevolentiam superaret. Sed & Neo-Nuptæ obsequia, & quanta vix in Filia potest conspici pietas, nisi ultro invenissent, matrem fieri cògissent. Pulchra enimvero

in Castellana Tuczynia agnosceret, quam suus quoq; Genitor non alio præterquam Matris honestat nomine: digna procul dubio tam pulchra appellatione, quæ, cum in Virum maritali feratur affectu, tali insuper solicitudine fovet, quasi genuisset. Et ut verbo omnia vestra Neo-sponsi absolvam decora, *& fascibus insignes, & legum culmine cultas convenisse Domos* in vobis animadverto. Ergo



te pares animæ sacro in connubia voto :
Commune, amores mutui, fœdus petunt,
Vobis, lætus Hymen fausto excitat omine tædas
Nidore clarum quæ inquinant nullo diem.
Sic rutilant, puraſq; vibrant fuligine flammas,
Quas extulit sors iuncta viruti faces.
Flagrat amor, vitæ cui par alimenta ministrat
Æqualitas: & pectoris calidas fovet
Scintillas, socio morum concordia nexu;
Noxium, odiorum, mentibus, contra gelu.
TVCZYNIÆ stirpis Fortuna hîc nupturit, & Sors
In matrimonium it NIEMOIEVIÆ Domûs.
Quantus utrinq; nitor! decorum concordia quanta!
Quàm iungit animas hic sacer nexus pares!
Est diversa magis, quam limpida marginis unda
Formam, intuenti tersa vel reddunt vitra:
Et fractæ magis est auctori vocis imago
Dissona, remittit quam situm procul nemus.
Hospes Honos alibi: Syrio cêu climate phœnix:
Hîc, raritatis nomen amisit, morâ,
Fortunæq; vagus passim favor: hîc in utrâq;
Fixit moueri nesciam sedem Domo.
Patritios thalamis infert sic Sponsus Honores!
Infert Avitos Sponsa sic Fasces toro!
Quodsi animi dotes expendo: nec ille Maritæ
Nec illa potuit alteri iungi Viro.
Morum eadem gravitas, maiestas oris utriq;
Eadem, modestas par rubor pingit genas.
Idem Cælitum cultus, probitasq; fidesq;
Pudor animo, ori comitas, verbis lepos.
Cura Domûs utriq; vigil sed quæ tamen auri
Nescit & avari sordidam argenti famem.
Spirarent animâ veluti concorditer unâ

Sic, & mentis opes, & splendor originis altæ
Certant, & utra, nescias, culmen tenet!
Ambæ primatum meruêre: & conscius orbis,
Vtriq; palmam porrigit, ut ambas probet.
Frustra igitur peplum Zeuxes offudit amori,
Frustraq; rapuit palpebram Sorti color;
Damnati æternis nunquam potuêre tenebris
Adscire tam aptum moribus probis Genus.
Ergo, felices, animorum in fœdera, fausto
Contendite Neo-Coniuges Magni omine.
Conceptisq; fidem alternam constringite verbis,
Qui verus est, odit pigras amor moras.
Consumat Vulgus steriles inglorius annos:
Nescire Magnæ crimen est Stirpi torum.
Hoc pietas, Patriæ; iubet hoc reverentia Patris:
Isti, Nepotes; Filios illi, date.
His NIEMOIEVII nitetur Gloria fulcris:
TVCZYNIVM istæ fulcient Nomen Bases.

In eam nos, qui Patritio applaudimus Hymenæo erigit fiduciam, Vestra Neo-Coniuges Fortuna. Nempe secundas iam Tibi CASTELLANE tædas pronuba Virtus accendit: a quibus proinde nomini suo consonam felicitatem fas sit expectare. Nunquam constanter fatis humanum genus premimur: iam lætis tristia, iam calamitas succedit prosperitati: rerum eventus alternantibus Superis, ne, aut Fortunæ favor, arrogantiam ingereret: aut ejusdem asperitas, spem in nobis labefactaret. Atrociter contra Te suam nuper exseruit fatum sævitiam, cum thalami sociam nefario ausu è vivis rapuisset: & quod magis mirer, nec Patritium Mutinæ propugnaculum, aliquam sævienti moram objecit: quasi Parium intra Ceras marmor, sepulchrali præluderet lapidi! Ergo, blandum jam alternantis vices Fortunæ vultum præstolare. Gratijs temperatum Neo-Sponsæ Nomen, in gratiam tecum fata reducit: quibus nocendi libertatem æther adimit, ubi pronubâ virtute, paranymphâ Fortuna connubij fœdus sociatur.



